





EX LIBRIS  
ILLVSTRISSIMI VIRI,  
DN. DAN. LVDOLPHI,  
LIB. BAR. de DANCKELMANN,  
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII  
STATVS INTIMI, cetera,  
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ  
TESTAMENTO RELICTIS.

Gm. 17



DISCURSUS POLITICUS  
DE  
VIRTUTIBUS PRINCIPUM,

*Quem*  
Felicioꝛibus Trifagii summi  
Auspiciis,

PRAESIDE  
*Clarissimo atq; Excellentissimo*  
VIRO,

Dn. JOANNE AVENARIO, J. U. L. & in Albia-  
co hoc Athenæo Eloqventiæ Romanæ Professore publico, Dn.  
Præceptore & Favitore suo quovis honoris cultusq; gene-  
re indefinenter prosequendô,

*publicitus*  
in Sapientiæ & Virtutis  
theatrô censendum  
exhibet

PAULLUS ALBERTI ANHALT.

A N N O

∞ I O C X X I V ,

8. Octobr.

*Horis sœtis locoq; sollemni.*

W I T E B E R G Æ ,

T Y P O H A K E N I A N O .





DE VIRTUTIBUS & VITIIS

DISCURSUS POLITICI

DE VIRTUTIBUS

VIRTUTIBUS PRINCIPALIBUS

Tractatus politicus

de virtutibus & vitiis

Tractatus

de virtutibus & vitiis

DE VIRTUTIBUS PRINCIPALIBUS

Tractatus politicus de virtutibus & vitiis

de virtutibus & vitiis

Tractatus politicus

de virtutibus & vitiis

Tractatus politicus

de virtutibus & vitiis

Tractatus politicus

de virtutibus & vitiis

Tractatus politicus

de virtutibus & vitiis

Tractatus politicus

de virtutibus & vitiis

Tractatus politicus

de virtutibus & vitiis

Tractatus politicus

de virtutibus & vitiis








DISCURSUS POLITICI  
DE VIRTUTIBUS  
PRINCIPE DIGNIS

*Præloquium.*



Rduum quidem ac difficile est iter ad virtutem, sed proclive ac pronum ad voluptatem. Est enim virtus matrona illa durior, quæ apud Prodicum Sophistam illum Chium vitam difficillimam Herculi adolescenti pollicetur, famam autem & gloriam perpetuam, quæ nullâ ævi diuturnitate obliterari possit. Contra hanc inducitur puella quædam omnium formosissima, admirando ornata, purpurâ, gemmis, & margaritis nitens, unguentis delibuta, & odoribus optimis fragrans, quæ si comitem ei præberet, in omni ejus vitâ delicias ac voluptates cunctas pollicitaretur; post interitum verò se potestatem nullam habere fatebatur. Cognovit Hercules hanc esse voluptatem, quâ per illecebras & blanditias in præcipitium duceretur, priorẽ autem illam virtutem, quâ per laborem immortalis redderetur. Quocirca spretâ voluptate, virtutem amplexatus est, quâ comite divus factus divinos honores perpetuò meruit. Cujus exemplũ Principes meritò sequantur, quippe qui, quò aliis sunt majores, eò meliores esse debent; quosq; ad virtutem amplectendam maximè invitent cum ipsius virtutis præstantia ac pulchritudo, tum etiam felicitas inde promanans. Non igitur abs re, nec à studiis meis alienum esse putavi, si pro

A

ingenii



ingenii modulo coronam virtutum Principibus dignarum con-  
necterem, & publicitùs ad veri normam adpenderem. Quod  
ut prosperiter succedat, verum Musarum Apollinem mente de-  
votâ veneror.

## THESIS I.

Virtutes in Principe (a) quæ considerantur & desi-  
derantur, sunt internæ, & externæ: (b) Illæ animi, hæ  
corporis dicuntur.

(a) Principi tam subditorum, quàm suæ ipsius felicitatis  
causâ virtus amplectenda est. *Ad Principem quod attinet*, I. Si  
divitias spectet; quanti est æstimanda virtus, quæ nec eripi, nec  
surripi potest umquam; nec naufragiô, nec incendiô amittitur:  
nec tempestatum, nec temporum permutatione mutatur? quâ  
præditi qui sunt, soli sunt divites. Soli enim possident res &  
fructuosas & sempiternas: *Cic. parad. ult.* II. Si delectationem  
& tranquillitatem animi consideret; major est virtutis jucundi-  
tas, quàm voluptas, quæ percipitur ex libidine & cupiditate:  
*Cic. 3. Verr.* Sola enim virtus præstat gaudium perpetuum & se-  
curum: *Sen. ep. 27.* Nec in seipso *Juvenal. Sat. 10.*

*Semita certè*

*Tranquilla per virtutem patet unica via.*

III. Si decus & gloriam respiciat: Gloria virtutem tamquam  
umbra sequitur. *Cic. 1. Tuscul.* IV. Si bonorum externorum  
affluentiam ante oculos proponat: quæ homines arant, ædifi-  
cant, virtuti omnia parent. V. Deniq; si id, quod optimû maxi-  
mumq; est, volumus adipisci, virtuti opera danda est, sine  
qua nullam rem expetendam consequi possumus.

*Subditorum etiam causâ* virtus Principi est amplectenda.  
Nam à capite bona valetudo. Inde omnia vegeta sunt, atq; cre-  
cta, aut langvore demissa: *Senec. lib. 2. de Clement. c. 2.* Nam rex  
eligitur, non ut sese molliter curet, sed ut per ipsum ij qui ele-  
gerunt, bene beateq; agant: *Xenoph. in memorab. Socrat.* Et mo-  
deratori Reipub. (ut *M. Tullius* inquit) beata civium vita propo-  
sita est, ut opibus firma, copiis locuples, gloriâ ampla, virtute  
honestâ



honestā sit. Hinc Trajanus non aliter pro se vota publica suscipi voluit, quam si bene Rempub. & ex utilitate omnium rexisset: Plin. in Paneg. & ejusdem successor Hadrianus in concione & Senatu saepe dixit, ita se Rempub. gesturum, ut sciret populi rem esse, non propriam: Spart. in Hadr. Talem se reapse praestet bonus Princeps, ita ut virtutes verae ac solidae, & non simulatae, (ut scriptor ille Florentinus subdole docet) in ipso conspiciantur. Itaque rectissime Socrates apud Ciceronem lib. 2. off. hanc viam ad gloriam proximam & quasi compendiarium dicebat esse, si quis id ageret, ut, qualis haberi vellet, talis esset. Quod si qui (ait Eloquentiae princeps) simulatione & inani ostentatione, ficto non modo sermone, sed etiam vultu stabilem se gloriam consequi posse rentur, vehementer errant. Vera gloria radices agit, atque etiam propagatur: ficta omnia celeriter, tamquam flosculi, decidunt: nec simulatum quidquam potest esse diuturnum. Deinde a Principe requiritur, ut exemplo quoque subditis suis praestet. Nec enim tam imperio subditis opus, quam exemplo: Plin. in Paneg. Et quales in Repub. Principes sunt, tales reliqui solent esse. cives: Cic. epist. 3. ad Lentul. & hac ratione etiam obsequium in Principem, & amulandi amor validiora, quam poena ex legibus, aut metus: Tacit. Hinc praclare Vell. Patercul. lib. 2. Recte, inquit, facere Princeps suos faciendo docet. Si quidem, ut Plin. d. loc. ait, flexibiles quamcumque in partem ducimur a Principe, atque (ut ita dicam) sequaces sumus. Huic enim chari, huic probati esse cupimus, quod frustra speraverunt dissimiles: eoque obsequii continuatione pervenimus, ut prope omnes homines unius moribus vivamus. Porro non tam sinistre constitutum est, ut, qui malum Principem possumus, bonum non possimus imitari. Itaque Rex velit honesta: nemo non eadem volet: Senec. in Thyest. Et verum illud Claudiani:

Componitur orbis  
Regis ad exemplum: nec sic inflectere sensus  
Humanos edicta valent, quam vita regentis.

Exempla permulta huc congeri & coacervari possent eorum qui in aulis Principum viventes mores & actiones ipsorum sunt imitati,



sed brevitatis gratiâ consultò ea omittens Lectorem remitto ad  
Philipp. Camerar. oper. subcis. cent. 1. cap. 66. (b) Just. Lips. lib. 4.  
Polit. cap. 9.

## II.

Internæ virtutes sunt Pietas, (a) Prudentia, (b) Ju-  
stitia, (c) Clementia, (d) Fides, (e) Modestia, (f) Li-  
beralitas, (g) Temperantia, (h) Fortitudo, (i) &c.

(a) De pietate in DEUM ex professo sacrae litteræ, earumq;  
fidi interpretes documenta tradiderunt; pauca admodum Phi-  
losophi & humanarum litterarum scriptores: ex quibus non-  
nulla pro instituto nostro excerpimus, quæ eandem Principi  
commendent. Prius verò, quàm illud fiat, Pietatem ex sen-  
tentiâ Lipsii hoc pacto describere libet & licet: Pietas est rectus  
de DEO sensus, & rectus in DEUM cultus: lib. 1. polit. cap. 2. Cas-  
man. cap. 11. vit. pol. De DEO enim optimè existimare, pietatis  
est exordium, inquit luculentissimus ille Afrorum Theologus  
lib. 1. de lib. arbitr. & sine eâ imperia sunt instabilia. Rectè Plu-  
tarch. in Nicia: Subditi, inquit, vehementer ad religionem ex-  
citantur, cum Magistratum suorum pietatem vident: quia ma-  
gis exemplis quàm legibus reguntur, & vita Principum ipsis  
censura est. Verissimè Sapientiæ doctor epist. 74. dicit, pietate  
adquiri veram felicitatem, & successum rerum prosperum.  
Nec enim sine DEO vir bonus esse potest: nec quisquam supra  
fortunam suam exurgere, nisi à DEO adjutus fuerit. Pietate  
autem adversus DEUM sublatâ, inquit eloqvii Romani Princeps,  
fides etiam, & societas humani generis, & unâ excellentissima  
virtus justitia tollatur necesse est: de Nat. Deor. Hinc bene La-  
ctant. Tolle inquit, hoc vinculum religionis, & vita hominum  
stultitiâ, scelere, immanitate complebitur: lib. de ira Dei cap. 8.  
Nullum sane flagitium aut facinus tam nefarium est, quod non  
perpetret, cui Dei venerantia periit. Ant. Guevar. lib. 1. horolog.  
Princ. cap. 18. Itaq; non dubitaverunt sacris Imperia servire; ita  
se humanarum rerum futura regimen existimantia, si divinæ  
potentiæ



potentia bene atq; constanter fuissent famulata: Val. Max. lib. 1. c. 1. Omnia enim prospera eveniunt Deos colentibus, adversa spernentibus. Liv. lib. 5. Ac proinde Cicero fatetur, Romanos non numero Hispanos, non robore Gallos, non calliditate Pœnos; sed religione ac pietate omnes gentes & nationes superasse: in orat. de Arusp. resp. Faceſſat igitur hinc imprebium illud Pseudo-Politici dogma, quo Principem instituit, ut ante omnia laboret, quod videatur tantum pius, etiamsi non sit. Quasi hominum gratia Princeps colat pietatem, quæ sincerus cultus est, & obsequium non simulatum DEO præstandum. Quod si DEUM esse crederet, crederet quoque ipsum nullo ludibrio haberi à creaturis suis: sed illi, ut summo Regi ac Moderatori, pium ac justum cultum deberi. Non est religionis usus, ut scenæ serviamus, & quæramus ad plausum populi, verum ut nos DEO gratos atq; paratos reddamus. Nam quomodo DEUS, qui penitissimos cordium recessus intuetur, nec patitur sibi fucis mendacibus illudi, Principis religionem probet, si fucata & simulata est? Vera itaque pietas, non dumtaxat ejus umbra, Principi necessaria est, omni simulatione penitus rejecta & reſectâ. Anti-Mach. lib. 2. theor. 1. Lips. lib. 1. pol. cap. 2. & seq. Cas. lib. 3. Sph. civ. cap. 3. qu. 2. Petr. Greg. lib. 17. de Repub. cap. 12. nu. 21. Henr. Andr. Cran. de pace. relig. part. 1. problem. 13. conn. 2. prolixè Thom. Boz. in tract. de imperio virtut. lib. 1. Timpler. lib. 3. polit. c. 1. qu. 6. Reinh. Kön. Theatr. pol. part. 2. cap. 16. (b) Quum prudentia, quæ Principi maximè necessaria est non modò reliquarum virtutum, sed etiam actionum humanarum rectissima sit norma ac regula, de hac non nihil impræſentiarum concinnare placet. Potest autem Prudentia ex mente & ſententiâ Lipsii lib. 1. pol. cap. 7. defini niri intellectus & dilectus rerum, quæ publicè privatimq; fugiendæ aut appetendæ. Dicitur *Intellectus*, quia omnia videt: quæ propter ab Aristotele non inſcitè vocatur oculus animæ. Item dicitur *Dilectus*, quia rectò judiciò eligit, & honesta à deterioribus, utilia à noxiis discernit, ut jure optimo dux & lux vitæ humanæ nominari queat. Unde Poëtæ veteres Prudentiam dicunt esse Minervam illam, quam de Jovis vertice natam non sine lepore fabulantur. Ostendunt enim à mente, quæ in nobis



est divina, manare; per quam omnia circumspicere debemus, & omnes in partes oculos intentos habere: ut haut immeritò voluerint optimam esse vitæ magistræ, atq; consiliorum cunctorum inventricem, felicitatisq; omnis procreatricem ac moderatricem. Itaq; , ut Sophocles ait,

*Nihil homini prudentiâ*

*Contingere melius, aut potest magis utile.*

Sed quantò magis Principi? Ut enim cætera animalia nec rectè domari, aut regi possunt sine aliqua industriâ & arte: sic rectè gerere Principatum sine hac vivendi arte perquam difficile est; quum nullum animal morosius sit homine, vel majori arte tractandum: Senec. *lib. 1. de clem.* Nec vires hîc oppone. Etenim melior est sapientia quam vires, & vir prudens quam potens, *Sap. 6. v. 1.* Nec malè Poëta:

*non solis viribus æquum*

*Credere, sæpè acri potior prudentia dextrâ.*

Nam & maximis interdum opibus, magnaq; Principum potentiâ, qui hoc orbati sunt lumine & columine, Respublicas quasari, ac funditus deleri videmus: Prudentiâ verò numquam non retineri conservariq;: Id quod attestatur *Eccles. cap. 10. v. 3.* Rex insipiens perdit populum suum, & potentum prudentiâ frequentatur urbs. Non abs re inquirere hêic collubitum est: *An prudentia cum fraude conjuncta apud Principem locum habeat?* Inficientium parteis tuendas adripimus: quia vera prudentia fallere non vult, & falli non potest. Numquam enim deceptus est Princeps, nisi qui prius ipse decepit: *Plin. in paneg.* Itaq; ipsius personæ convenit, ne quid insidiosè, ne quid simulatè, ne quid fallaciter agat: *Cic. lib. 1. off.* ne rationem à diis immortalibus datam in fraudem malitiamq; convertat: *Idem de Nat. Deor.* sed unum illud ad laudem cum virtute directum iter probet, *sine furo & fallaciâ.* Nam gloriam, honorem, & imperium bonus & ignavus æqvè sibi exoptat: sed ille verâ viâ nititur: huic quia bonæ artes desunt, dolis atq; fallaciis contendit, *Sallust. in Catil.* Nulla autem pernicies vitæ major esse potest, quam cum in vitâ inest simulatio. Ne igitur Princeps sit similis aut Tiberio, qui nullam æqvè, ut rebatur, ex virtutibus suis, quam dissimulationem di-



nem diligebat, Tacit. *1. annal.* aut Cajo, qui, etsi commotus inge-  
niò, simulationum falsa, in sinu avi perdidicerat: Idem *6. annal.*  
sed potius Agricolaë, qui ut bonis comis, ita adversus malos in-  
jucundus. Caterùm ex iracundiâ nihil supererat: secretum &  
silentium ejus non timeres: honestius putabat offendere, quàm  
odisse: Idem *in Agricol.* Et in eo Trajani simplicitas, veritas, can-  
dor agnoscatur, Plin. *in paneg.* ita ut esse, quàm videri probus ma-  
lit; non quales illi, quos ambitio falsos fieri subegit, magisquæ  
vultum, quàm ingenium bonum habere: Sallust. *in Catil.* Nihi-  
li facimus opinionem Machiavelli *lib. 1. de Repub. cap. 42. & de  
Princip. cap. 18.* qui in Principe requirit, ut sciat homines verfa-  
re, quò eos fraude circumveniat. Nec planè ab hac sententiâ  
aversus esse videtur Lips. *lib. 4. polit. cap. 13.* Porro hoc loci eti-  
am disquirendum, unde prudentia progignatur? Resp. ex naturâ,  
usu, & doctrinâ. *Natura* multum potest, & ab eâ sola, aut certe  
levibus aliis auxiliis provecti quidam operæ precium fecerunt.  
Sed *Ufus* si accesserit, etiam mediocris *Natura* attollitur, & in  
consiliis actionibusquæ se probat. Quid si *Doctrina*? plurimum  
fanè: & tria hæc ubi concurrunt, mirum quàm valida ea mixtio,  
& vera ex iis firmaquæ; Prudentia oriatur. Lips. *lib. 1. monit. polit.  
cap. 7.* Ex hisce primæ deferendæ sunt usui, quippe qui firmior,  
omniumquæ; magistrorum præcepta superare dicitur. Nec tamen  
ab eo satis plena ac perfecta est Prudentia, cum vix dici queat,  
quas varietates, quos sinus & recessus habeat. Itaque lumen in-  
ferendum est, ut pervideamus: & maximè à *Doctrinâ*, non illâ  
tamen argutulâ, aut scientiarum subtilium & panè inutilium,  
sed memoriæ rerum præsertim, quàm Historiam adpellitamus.  
Nam ea, si attendis, quid nisi alter *Ufus* est? Lips. *d. loc.* Et hæc ratio  
adquirendi prudentiam est facilior & tutior: *Ufus* verò & expe-  
rientia videtur difficilior, & sæpè cum periculo conjuncta.  
Heider. *in disp. de prudent. polit. qu. 1.* Πραγέγιος quasi heic adnecte-  
re libet elegantem illam quæstionem: *An Principis prudentia  
consistat potius in acquirendo vel conservando imperio?* Rerum hu-  
manarum conditionem ac naturam reputanti dubium esse non  
potest, quin conservare imperium multò difficilius sit quàm ad-  
quirere. Nam, ut Poëta inquit,

Non mai-



*Non minor est virtus, quam quærerere, parta tueri:  
Casus inest illic, hic erit artis opus.*

Certè magnum quid est imperia adquirere; sed non minor, imò major virtus est, ea tueri & conservare. Siquidem in adquirendo & amplificando imperio sive regno fortuna seu occasio sapiusculè multum potest & prodest, non rarò ipsius hostis sive negligentia sive imbecillitas facilia omnia reddit; & pleraq; alienâ operâ perficiuntur: at conservatio imperii merum excellentis cujusdam ingenii ac virtutis opus est. Viribus adquiruntur imperia, prudentiâ conservantur: Illæ communes multis, hæc paucis contingit. Hinc videre est, quare Scipio cum censor esset, noluerit in carmine, sicuti moris erat, poni, **DII AUGETE**, sed **DII CONSERVATE** Rempub. Satis, *addens*, habemus auctam, dummodò conservetur. De Pyrrho hoc fertur, ipsum invictum in devincendis regnis fuisse; sed devictis adquisitisq; celeriter caruisse. Quapropter Augustum quoq; mirari solitum scribunt, non induxisse Alexandrum Magnum in animum, quæ ratione adquisita conservaret, sed tantum quo pacto quæsitis alia adjiceret. Hippol. à Collib. *in Princip. cap. 2. Camerar. cent. 1. hor. subcis. cap. 50. Richter. axiom. hist. 216. Casp. Ens. clas. 1. Schol. polit. lib. 1. cap. 5. El. Reusn. Cor. 1. Flor. Politico-hist. 5.* (c) Rege dignissima virtus est *Justitia*, omnium domina ac regina virtutum, M. Tull. *3. off.* Nam fruendæ justitiæ causâ olim bene morati Reges constituti sunt: Idem *lib. 2. off.* Hinc Agesilaus, uti narrat Plutarchus limatissimi judicii auctor, existimans Justiciam omnium virtutum maximam propriamq; Regum, cum quidam mentionem fecisset Magni Regis, (Persarum enim Rex cognomine Magnus ob imperii amplitudinem vocabatur) quid, inquit, ille major me est, nisi justior sit? Quasi diceret, esse unam justitiam, quæ Reges Magnos efficiat. Hic igitur laborare, huc omnes vires debent Principes conferre, ut in cæteris virtutibus hæc una præcipuè ita eluceat, ut & ipsi Magnum nomen nanciscantur, & populares beatitate perfruantur: Castellan. *part. 2. lib. 3. de off. Reg. cap. 1.* Definitur autem Justitia constans & perpetua voluntas jus suum cuiq; tribuens *l. 10. D. de just. 5.*



*just. & jur. & princip. Inst. eod. tit.* Ac primùm quidem cum jus & æquitas sint vincula civitatum, omninò qui Reipub. præfuturi sunt, duo Platonis præcepta teneant: unum, ut utilitatem civium sic tueantur, ut, quidquid agunt, ad eam referant, obliti commodorum suorum: alterum, ut totum corpus Reipub. curent, ne, dum partem aliquam tuentur, reliquas deserant: Cic. *lib. 1. off.* Et sine adfectu & adpectu administret justiciam, Lips. *lib. 2. monit. polit. cap. 9.* quippe quum bonus Princeps committere non debeat, ut leges sint araneorum telis similes, in quibus infirmiora animalia hæreant, quum easdem valentiora pererrant: aut ut cum Petronio conquerendum sit:

*Quid faciant leges, ubi sola pecunia regnat;*

*Aut ubi paupertas vincere nulla potest.*

Jam verò quia duabus potissimùm rebus continetur Respub. præmiò scilicet, & poenâ, Cic. *in Epist. ad Brut. Ulpian. in l. 1. D. de just. & jur.* Legibus proposita sunt supplicia vitiiis; præmia virtutibus: Tull. *2. de orat.*

*Quis enim virtutem amplectitur ipsam,*

*Premia si tollas?* Juvenal. Sat. 10.

Nam, ut sagacissimus rerum gestarum indagator asserit, languescit industria, intenditur securdicia, si nullus ex se metus, aut spes: *lib. 2. Annal.* Itaque sub justo Principe non benefactis tantum ex conscientia merces, sed etiam præmia sunt. Plin. *in Paneg.* Adhibenda est etiam Reipub. causa severitas, sine qua administrari civitas nulla potest: Cic. *lib. 2. de off.* Malum quidem est Principem habere, sub quo nihil ulli liceat: pejus verò eum, sub quo omnia omnibus, teste Dione. Quandoquidem salutaris severitas vincit inanem speciem clementia, veluti summus Romanæ eloquentia princeps loquitur *ad Brut. epist. 10.* Contra verò nimiam lenitatem Magistratus auctoritas apud subditos vilescit & penitus exolefcit; atque hoc pacto sceleribus multiplicandis nulla non occasio suppeditatur. Bodin. *lib. 3. de Repub. cap. 5. pag. (mibi) 485.* Petr. Gregor. *lib. 6. de Repub. cap. 18. num. 18.* Greg. Richt. *axiom. Oecon. 26.* Ant. VValæ. *in compend. eth. part. 3. pag. 192.* Interim verò in severitate modus adhibeatur necessarium est: nam crudeles sunt, ut sapiens Romanus dicit, qui puniendi caus-



di causam habent, modum non habent, *lib. 1. de Clem.* Et sane summum jus summa saepe malitia est, Terent. *in Heaut.* & summus jus antiqui summam putarunt crucem: Colum. *lib. 1.* Hujusce rei exempla videre licet apud Sereniss. Angl. Regem Jacob. I. *lib. 2. instit. reg. pag. 136. & seq.* (d) Ut Princeps justitiae laudem consequatur, eandem necesse est temperet Clementiam: Nam justitia a qua clementia abest, crux est: Dioclet. *apud Pomp. Lat.* Cujus munia sunt, lenire, temperare, noxios eripere, lapsos erigere, & servatum ire eos ipsos, qui se perdunt: Hier. *Sirtur. lib. 2. pol. pag. 49.* Clementia autem definitur virtus animi a poena aut vindicta ad lenitatem cum judicio inclinantis, Lips. *lib. 2. polit. cap. 12.* Haec homini convenientissima: nullum tamen ex omnibus magis, quam Regem aut Principem decet. Id quod testatur Lud. Guicciardinus ita inquit: La clemenza sopra le altre virtù, riluce nei Principi. Unde & Imperator Justinianus: Nihil est, *inquit*, tam peculiare imperialis majestatis, quam clementia, per quam solam Dei servatur imitatio, *l. ult. C. de donat. inter vir. & uxor.* Haec amorem allicit: Nam qui vult amari, languida regnet manu: Sen. *in Theb.* Haec tutelam adfert:

*Non sic excubie, nec circumstantia tela,  
Quam tutatur amor.* Claud. *ad Honor.*

*Haec regni clavum defigit:* Firmissimum id imperium, quo obediendes gaudent: Liv. *lib. 8.* *Haec gloriam parat:* Nec ullam in re propius homines ad Deum accedunt, quam salutem hominibus dando: Cic. *pro Ligar.* Carol. Scriban. *lib. 1. super. rel. c. 4. &*, ut Seneca *in Octav. act. 2.* inquit,

*Pulchrum eminere est inter illustres viros:*

*Consulere patriam, parcere afflictis, feram*

*Caede abstinere, tempus atque iram dare &c.*

Verum enimvero ut haec cum temperie accipiantur, innuit quod in definitione dicimus eum Judicio hanc virtutem in gubernando esse adhibendam: quia absque hoc est lenitudo, & vitium; adeoque non virtus. Nam, ut Cicero *lib. 1. off.* docet, sine severitate civitas administrari non potest: id quod paullo superius quoque monuimus. Et adpositum Iustus Marcianus: Nec autem severitatis, *inquit*, aut clementiae gloria adfectanda est: Sed per-

pensio



pensò judiciò, prout quæq; res ex postulat, statuendum est, *l. Respiciendum. 11. in pr. D. de pœn.* Siquidem temperatus timor cohibet animos: assiduus verò & acer in vindictam excitat. *Sen. 1. de clem.* Debet igitur Princeps parvis peccatis veniam, magnis severitatem commodare; nec pœnâ semper, sed sæpius pœnitentiâ contentus esse: *Tacit. in Agricol. Chokier lib. 2. Thesaur. polit. cap. 6.* Hinc pullulascit quæstio haut inutilis: *Utrum Princeps in ingressu principatus sui clementiam potius quam severitatem adhibere debeat?* Vide hac de re regiè & egregiè differentem *Sereniss. Angliæ Regem Jacob. I. lib. 2. instit. reg. pag. nu. 69. & seq. (e)* Post justitiam & clementiam *Fides* Principi magnoperè commendatur, quæ est fundamentum justitiæ; quippe quâ sublatâ, justitiam quoq; tolli necessum est; atq; inde humanam quoq; societatem: quandoquidem nullum imperium, nullam civitatem, nullam societatem, nulla commercia, nullam deniq; domum sine justitiâ constare posse tam certum est, quàm quod certissimum. Hinc fidem fallere gravissimum, quæ in pactis & contractibus ut plurimum versatur, *Jacob. Bruck in Princip. Plin. aphor. 57.* Ac proinde fides adpellata est, quia fiat, quod dictum est. Est igitur *Fides* dictorum, conventorumq; constantia & veritas, *Cic. 1. off.* Laudatur verò, & inter maxima humani generis bona *Fides* colitur, *Sen. 5. de benef.*

*Qua sine non tellus pacem, non æquora norunt:*

*Justitiæ consors, taciturnq; in pectore Numen.*

Colendum est itaq; venerabile hoc fidei Numen quæ dextram suam, certissimum salutis humanæ pignus ostentat: *Val. Maxim. lib. 6. cap. 6.* Quam Romani in Capitolio vicinam Jovis Opt. Max. esse voluerunt. Apud eos enim juxta divinas religiones fides colebatur: *Liv. lib. 9.* quippe quum constaret favere pietati fideiq; deos, per quæ populus Rom. ad tantum fastigii venerit. *Lib. lib. 44.* Quum autem fides sit justitiæ fundamentum, danda opera est Principibus eorumq; ministris, non modò ut ne quid ipsi in hoc genere peccent, sed ne impune sit privatis, si fidem violarint. Quid autem foedius perniciosiusvè aut esse aut fingi potest perfidioso Principe: qualem fuisse Severum *Herodianus lib. 2.* perhibet, qui vafro ac fallaci ingenio jusjurandum



pro nihilo ducebat? Quid porro magis infuscavit Annibalis virtutes, quam perfidia? quippe apud quem, ut auctor est Livius Historicorum disertissimus & gravissimus, nullum iusjurandum, nulla religio valuit, *lib. 22.* Cæterum de fide dispiciamus, *an Princeps etiam hostibus eam servare teneatur?* Primum omnium constat, non decere fidem hostibus datam, nisi causa iustissima subsit, frangere, *c. Noli. 23. qv. 1. L.* Unde Cic. *lib. 3. off.* Est jus, inquit, etiam bellicum, fidesq; iusjurandi sæpè cum hoste servanda. Quod enim ita iuratum est, ut mens conciperet fieri oportere, id servandum est. Hinc laudatur Regulus, qui redire Carthaginem ad acerbissimum supplicium maluit, quam contra iusjurandi religionem in patriam remanere. Cic. *lib. 1. & 3. off.* Contra Hebræi fame, quod Gabaonitis pacta non servassent, didicerunt, quantum sit peccatum, fidem datam hostibus fallere, *lib. 2. Reg. 17.* Hac de re plura videre licet apud Bod. *lib. 5. de Rep. cap. 6. P. Greg. lib. 7. de Repub. cap. 20. nu. 28. cum seq. & lib. 8. cap. 8. num. 9. & seq. Lips. lib. 4. pol. c. 14. & lib. 2. monit. pol. c. 13. Barth. Keckerm. lib. 1. Syst. polit. cap. 3. pag. 92. & seq. Casp. Ens. clas. 2. Schol. polit. sect. 7. axiom. 2. Schönborn. lib. 6. polit. cap. 18. Bruek. in Princip. Plin. aphor. 58. Diss. Machiavell. lib. 2. de Repub. cap. 13. & lib. de Princip. cap. 18. (f) Modestia definiri potest moderatum de se suisq; iudicium in actione cum decore elucens. Virtus hæc quemvis hominem decet, in primis verò Principem: Lips. *d. lib. 2. monit. pol. cap. 14.* Ille enim, sicuti Plinius loquitur, hoc magis excellit atq; eminet, quod unum se ex nobis putat, nec minus hominem se, quam hominibus præesse meminit, *in paneg.* Unde rectè præcipere videntur, qui monent, quanto superiores sunt homines, tanto submissius se gerant: Cic. *pro P. Quinct. & lib. 1. off.* Quod & Siracides præcipit *cap. 3. vers. 20. & 21.* Quanto major es, tanto te magis submitte, & à Domino gratiam inibis. Nam magna est Domini potentia, & à modestis honoratur. Qua de re etiam sapientissimè Regum sapientissimus *lib. Sapient. cap. 7.* quò Lectorem remitto. Bene igitur Seneca *in Troad.**

Quò fortuna altius

Evexit & levavit humanas opes:

Hoc se magis suppressere felicem decet,

Variosq;



*Variosq; casus tremere, metuentem deos  
Nimum faventes.*

Constantinus Magnus Imperator, victo Maxentio Tyranno, nec in laudes acclamantis populi, nec in plausum tantæ urbis animum relaxavit, nec suæ virtuti rem gestam, sed divino muneri attribuit: nec sibi triumphanti imagines erigi passus est: Euseb. lib. 9. histor. Eccl. cap. 9. & Nicephor. lib. 7. cap. 30. Neq; ab ullo periculo fortuna Principis longius abest, quam à modestiâ & humilitate: Quocirca bonus Princeps & hoc meminerit, quod eleganter admonet Historicus ille venustus pariter ac disertus Q. Curtius lib. 7. magnas arbores diu crescere, at unâ horâ extirpari: nec quidquam tam firmum esse, cui periculum non sit ab invalido: ipsumq; leonem aliquando minimarum avium pabulum fieri: & ferrum rubiginem consumere. Sic verè modestiâ animum ipsius refrenabit & cohibebit, ne ob imperii gloriam se extollat atq; insolescat. Numquam enim, teste Seneca, in solido stetit superba felicitas, & imperiorum magna fastigia oblivione fragilitatis humanæ collapsa sunt. Graviter hoc olim admonuit Philippum Macedonem Archidamus Agesilai filius, à quo post cladem acceptam quum litteras accepisset aculeatas, & terroris plenas: Si tu, ô Rex metieris umbram tuam, illa nihilo major erit, quam erat ante victoriam. Zach. Friedenreich cap. 24. polit. Interim verò se contemni non patiat, quod fieri solet & nimiâ humilitate, & quando Princeps fit mancipium aliorum, quorum consiliis obstrictus tenetur: Althus. cap. 25. polit. nu. 55. (g) Digna Principe virtus est etiam Liberalitas seu Beneficentiâ; quam Diocletianus primam dotem Principis vocabat. Marmor Romæ repertum fuisse perhibetur in Trajaniforo, quod Romanos hos characteres continebat: *Potentissima dos in Principe liberalitas atq; clementia.* Nam Principis est (inquit Polybius) benefaciendo universis cum liberalitate & clementiâ sponte subjectos gubernare in mutuâ semper benevolentia. Rectè Cicero: Liberalitate, inquit, qui utuntur, benivolentiam sibi conciliant, & (quod altissimum est ad quietè vivendum) charitatem, lib. 2. off. Adflictis in Principis benignitate perfugium est, ut naufragis in portu. Titus (cognomi.



gnomine paterno amor ac deliciae generis humani) recordatus  
quondam super coenam, quod nihil cuiquam toto die praestitisset,  
memorabilem illam, meritoque laudatam vocem edidit:  
*Amici, diem perdidit.* Sveton. in *Tit. Vespas.* cap. 8. Hinc Evergetae  
nomen Cleomeni Spartanorum, Ptolomaeo Aegyptiorum, &  
Antigono Macedonum, Regibus perpetua laude inditum: quod  
benefecerint omnibus, laeserint neminem: Plutarch. in *Cleom.*  
Alex. ab Alexand. lib. 2. cap. 11. Liberalitatis autem duo sunt  
maxime probabiles fontes, verum iudicium, & honesta bene-  
volentia. Nam cum ab his oritur, tum demum eius ratio con-  
stat: Val. Max. lib. 4. cap. ult. Beneficiis enim si detraxeris iudici-  
um, desinunt esse beneficia: Senec. 1. de *Benefic.* Itaque prodigum  
est, qui, ubi non decet, & quantum non decet, & quando non  
decet, impendit: Aristot. lib. 1. *magn. moral.* cap. 23. Caeterum be-  
neficentia tanto est Principi ad commodatior, quanto ad plures  
redundat, & quanto magis est publica; nempe si per eam populo  
tributa non necessaria remittat: si pressos calamitate sublevet:  
si viduis & orphanis largiter succurrat: si pauperes virgines do-  
tet: si naufragis opem ferat: si aedificia publice necessaria magni-  
fice exstruat: si vias publicas refarciat: si itinerum securitatem  
praestet. Keckerm. lib. 1. *syss. pol.* cap. 3. In primis autem singula-  
rem benivolentiam atque gloriam illi Principes sibi concilia-  
runt, qui litterarum studia & litteratos fovenerunt, & promove-  
runt, Academias propagarunt, templa sacra erexerunt, nova  
Musarum hospitia exstruxerunt: testes sunt Jul. Caesar, Octavius  
Augustus, Carolus Magnus, Constantinus, Justinianus, Frideri-  
cus III. cognomento Sapiens, Dux Saxon. Elector & Archimar-  
schallus Imperii, aliique Heroes complures gloriam sempiternam ce-  
lebrandi. Castellan. lib. 3. de *off. Reg.* part. 2. cap. 14. & seqq. Hip-  
pol. à collib. in *Princip.* cap. 5. Reinh. Kon. part. 2. *theatr. pol.* cap.  
16. nu. 25. & seqq. Porro ad largiendum, quam ad promittendum  
Princeps promptior esse debet. Priusquam enim promittat,  
consultare debet, an id utiliter ac convenienter servare possit  
aut debeat: at ubi consultaverit, beneficium verbis initum re-  
comprobet, & cito praestet: Autor in *lib. qui inscribitur Aula, O-*  
*tium, Scena vite & Consilia.* (h) Quum Temperantia sit rationis  
in libi-



in libidinem, atq; alios non rectos impetus animi firma & moderata dominatio, teste autore *lib. 2. ad Herenn.* quis eam Principi necessariam esse non videt? Nam nihil est tam præclarum, tamq; magnificum, quod non moderatione temperari desideret. Valer. Max. *lib. 3.* Hanc Petipatetici prudentiæ conservatricem esse dicunt, quippè quæ iudicium stabile ac firmum in rebus omnibus agendis reddat, nec permittat illud labefactari atq; corrumpi à voluptatibus, neq; à doloribus tabescere aut frangi. Nam ut recta ratio sit in dictis, & factis, prudentiæ munus habetur: ut autem non effundatur, sed circumscripta, firma, stabilis, incorrupta atq; integra maneat, temperantiæ. Fr. Patric. *lib. 6. de Reg. institut. tit. 18.* Ex descriptione hujus virtutis modò propositâ facilè elucescit, nos hîc non intelligere Temperantiam illam, quæ in gustu & tactu, & in istorum duorum sensuum moderatione consistit: sed illam potiùs, cuius vi primùm Princeps sibi ipse modum imponat: tum absolutâ quadam potestate indomitis suis animi adfectibus frænum injiciat: postremò, instar periti medici omnes vitæ suæ actiones prudenter & ex arte permiscere, & non confundere sciat. In omnibus igitur non solum adfectibus, sed etiam in actionibus suis virtuti maximè consentaneis, Temperantiam hanc & moderationem tamquam summam ducem sequi oportet. Verùm brevitati inservientes plura de hac virtute adnectere superforaneum judicamus; ac proinde Lectorem uberiora fortean desiderantem remittimus ad Vincent. Castellan. *d. lib. 3. cap. 1. cum aliquot seqq.* ubi virtutem hanc tractatione sat copiosâ ac nervosâ prosecutus est. (i) Non est instituti nostri Fortitudinem illam Principi commendare, quæ in perferendo ac patiendo præcipuè cernitur (quamvis ea laudabilis sit & cuivis optanda) sed illam, quæ Princeps se suosq; ab hostium ac perduellium injuriis invictò animò tuetur; & quæ pro cynosurâ justitiam, pro gubernaculo prudentiam, pro portu deniq; pacem habet. Nam quod ad justitiam attinet, ea animi elatio, quæ cernitur in periculis ac laboribus, si justiciâ vacat, pugnatq; non pro salute communi, sed pro suis commodis, in vitio est. Non enim modò id virtutis nō est, sed potiùs immanitatis omnem humanitatem repellentis. Cic. *lib. 1. off. Justitiæ*  
verò



verò primum munus est, ne cui quis noceat, nisi laceffitus injuriâ: Cic. *ibidem*. Fortes igitur & magnanimi sunt habendi non qui faciunt, sed qui propulsant injuriam Tull. *d. loc.* Prudentia etiam fortitudinem gubernet. Nam fortes non modò fortuna adjuvat (ut est in proverbio) sed multò magis ratio, quæ quibusdam quasi præceptis confirmat vim fortitudinis: Cic. 2. *Tusc.* Et illa certissima est virtus, quæ se diu multumq; circumspexit, & rexit, & ex lento ac destinato provexit: Senec. 1. *de irâ*. Nam temeritas, ubi primum impetum fudit, veluti quædam animalia, amissò acudeò torpet. Proinde

Non solis viribus æquum  
Credere; sæpè acri potior Prudentia dextrâ.

Ad pacem quod attinet, nomen ipsius dulce est; res verò ipsa tum jucunda, tum salutaris, Cic. *Philip.* 13. quia non modò ij, quibus natura sensum dedit, sed etiam tecta atq; agri lætari videntur, Idem *de Lege Agrar.* Etenim, ut Silius Ital. *lib. 11.* inquit,

Pax optima rerum,  
Quas homini novisse datum est: pax una triumphis  
Innumeris potior.

### III.

Virtutes externæ positæ sunt in sermone, in quo requiritur gravitas, (a) humanitas, & facilitas: (b) nec non in cultu corporis (c) & gestu. (d)

(a) Gravitas ideò requiritur, quòd ut sapienti viro incessus modestior convenit, ita oratio gravis, pressa & parca Principem decet, in qua dignitatem ac pondus sententiarum inesse oportet: quippe quæ à populari genere utrumq; sit separata Bodin. *lib. 4. de Rep. cap. 6.* Althus. *cap. 25. polit. nu. 36.* Hyperbolici verò sermones, qui verborum quodam & promissorum hiatu proferruntur, fastum & vanitatem indicant, & simul auctoritatem magnatam vehementer imminuunt, Herm. Kirchner. *disp. de Repub. 20. additam. 3.* Hipol. à Coll. *in Princip. cap. 26.* Et gravior quoq; erit Principis sermo, si vernaculæ elegantiam ac puritatem sua probabit oratione, quod magnâ cum diligentia & curâ fecerunt Romani, G. Gumpelzh. *in discurs. pol. de Illustrum gravitate exter-*



te externa pos. 23. pag. 21. cum seq. (b) Humanitate ac facilitate interpellantibus se benignum præbeat, *l. Nec quidquam. 9. §. Observare. 4. D. de off. procons. & l. Observandum. 19. D. de off. præsid. Auson. in paneg. ad Gratian. Scip. Amirat. lib. 2. de regno regisq; inst. pag. 80. Aegrè enim ferunt subditi, uti Petr. Gregor. Thol. loquitur, dum Principis sui tutoris, defensoris & pastoris ædes & colloquia sibi inhihentur, ut sæpè ad defectionem inde transeant, vel ad odium ejus implacabile provocentur, lib. 8. de Repub. cap. 4. nu. 2. Attamen sui ad spectum & conspectum aliis præbeat non ex levi causâ & sæpè, sed tantum ob graves causas, & cum singulari gravitate. Nam continuus ad spectus minus verendos magnos homines ipsâ satietate facit, *Liv. lib. 35. & majestati major ex longinquo reverentia: Tacit. 1. annal. Verè ac graviter Valer. Max. Quidquid, ait, in excelso fastigio positum est, humili & tritâ consuetudine, quò sit venerabilius, vacuum esse convenit, lib. 2. cap. 2. Unde præclare Augustinus: Dum nimia servatur humilitas, regendi frangitur auctoritas. c. Quando. dist. 86. Cagnol. de instit. Princip. num. 143. cum seq. Chokier lib. 2. aphor. polit. cap. 9. in princ. Althus. pol. cap. 25. nu. 38. & seq. & lib. 2. de convers. civil. cap. 6. Keckerm. lib. 1. syst. pol. cap. 3. pag. 95. Reinh. Kön. part. 2. theatr. pol. cap. 19. Zach. Friedenreich cap. 23. pol. Verùm ad doctorum hominum conversationem quod attinet, ea sanè Principibus conciliat auctoritatem magnam, Comin. lib. 1. hist. Althus. d. cap. 25. num. 43. quæ, ut Augusto imperatorum principi maximæ auctoritatis lumen attulit, Cass. in Aug. ita & Germanici Imperii autori, Carolo Magno decus ac ornamentum summum, tum domi, tum foris peperit, Egin. in Car. M. Eadem Henricum V. summo perè illustravit, cujus in comitatu assidui viri docti, Hed. Chron. Germ. Idem quoq; de Carolo IV. dici potest, qui frequentissimus inter litteratos visus, Castrit. de princip. Germ. virt. lib. 4. quem & Sigismundus eodem studio æmulatus, Cuspin. in ejus vit. Et magnam laudem attulit Alphonso Regi Neapol. teste Joviano, quòd litteratos, quicumq; Neapoli per id tempus essent, ad se in hortos vocaverit, lautissimamq; cœnâ exceperit. (c) In vestitu quoq; & cultu corporis gravitas Principem decet, ne quid in eo sit leve, muliebri, atq; ef-**

C

foemi-



foeminatum, Keckerm. d. cap. 3. pag. 96. sed potius ut cultus sit de-  
cens, neq; nimium exquisitus, neq; prorsus neglectus, ita ut cum  
rei, loco, temporiq; tum maxime personæ conveniat. Althus.  
lib. 1. de conversat. civ. cap. 10. pag. 180. Schönborn. lib. 2. pol. cap. 27.  
Inprimis verò observandum est Principi, quod Sereniss. Rex  
Angl. Jacob. I. ad filium suum de vestitu scripsit lib. 3. instit. reg.  
pag. m. 161. & seq. Adde Lips. lib. 2. monit. & exempl. polit. cap. 15.  
Non inconvenienter hoc loco quaeritur: *An Principem deceat  
mutato habitu apud subditos inquirere, quid vulgò sentiant de vitâ &  
moribus suis?* Hoc fecisse complures testatur Philipp. Camerar.  
cent. 1. hor. subcis. cap. 90. & interdum admitti posse respondet  
Schönborn. d. cap. 27. (d) Gestus corporis sit compositus & gra-  
vis, qui visu & auditu Principem reddat venerabilem & gravem,  
Petr. Gregor. d. lib. 8. de Repub. cap. 3. Joh. Althus. d. cap. 25. num.  
44. & lib. 2. de conversat. civ. cap. 6.

#### I V.

Antequam disputationi huic colophonem addamus,  
non nihil attingere placet quædam corporis exercitia (a)  
Principis personæ maxime convenientia: cujusmodi  
sunt Venationes (b) Equitationes, (c) Hastiludia (d)  
aliaq; exercitia plura.

(a) Veluti progymnasmata quædam rerum ac virtutum bel-  
licarum. Quæ exercitia tum demum probantur, si fiant cum mo-  
do, & sine periculo Keckerm. d. lib. 1. cap. 3. syst. pol. p. 98. (b) *An  
venatio sit exercitium Principe dignum à Politicis sæpe quaesitum & dis-  
ceptatum memini?* Utrinq; instituta est acies, sive negetur, sive  
adfirmetur. Pars negans hisce rationum telis instructa est.  
I. Quia Gratianus ex Augustino venationem vocat artem ne-  
quissimam. c. *Qui venatoribus, dist. 86.* II. Quia Principes per  
venationem advesiunt ad savitiam, & feroces redduntur atq;  
truculenti: Franc. Zoannet. de venat. num. 25. Hinc Erasmus:  
*Qui bestias, ait, sæpe insectantur, bestialem animum indu-  
unt.* III. Hieronymus super *P salm 90.* scribit in Scripturâ S. pe-  
nitens non inveniri sanctum aliquem venatorem: piscatores au-  
tem in-



rem inveniri sanctos, c. *Esau. d. dist. 86.* IV. Quoniam venatio est valde periculosa: id quod exempla Maximiliani II. & aliorum abundè attestantur. V. Denique venatores injurias irrogant agrorum & sylvarum dominis, vincarum fructibus, satis, & novellis plantis: Petr. Gregor. Thol. *lib. 29. syntax. art. mir. c. 1.* Quamvis hæc & similia argumenta non planè sint vilia & exilia: tamen pars adfirmans firmiorum rationum & argumentorum munimentis armata est: I. Quia venatio est corporis exercitium conducens sanitati. Exercitatio enim roborat corpus, excitat & auget calorem insitū, spiritus sensusq; vegetiores & acriores reddit, superflua discutit & evacuat. Contrà verò nimium otium sanitati & vitæ plurimum obficit; quia nimia quiete torpescunt membra. Ut enim aqua putrescit absq; motu: sic quoq; corpus corrumpitur, nisi exerceatur: Dresser. *in lib. de partib. corp. hum. pag. 119.* II. Venationis utilitas est quoq; in voluptate & recreatione posita. Hanc quis Principi pro exantlatis Reipub. laboribus accuris invidabit? III. Quia necessaria quoq; videtur, ne ferarum copia nimis aucta subditis damnum inferat. IV. Quoniam est progymnasma & preparatio ad res bellicas. Unde Xenophon *in lib. de venat.* eam vocat belli præludium. Aristoteli quoq; *lib. 1. polit. cap. 5.* venatio est pars artis bellicæ, quæ contra belluas utendum est. Siquidem in venatione equitare & currere, bestias feroces excipere, æstum frigusq; perferre, sæpè famem pati necesse est: unde bellica ingenia in eâ maximè se exercent. Philo *lib. 1. de vitâ Mos.* V. Venationem esse exercitium honestum ac Principis personâ dignum comprobatur gravissimorum auctorum testimonio. Cicero *1. off.* venationem inter honesta exercitia numerat. Dion. Cass. *lib. 40.* Optimi Principes, *inquit,* venationem exercent, tamquam rem saluberrimam, unde corpus robustius, & animus fortior efficitur, & in quâ bellica omnia exercentur. Xenophon *lib. 1. Cyropæd.* laudat Persas, quòd publicam operam dederint venationi, & maximam curam in eâ posuerint. Sebast. Fox. *lib. 1. de regn. regisq; institut. cap. 20.* Et Jul. Capitolinus *in vitâ Marci Ant. Philosophi,* egregium hunc Imperatorem, quando voluit à gravioribus curis animum remittere, venationi ait indulisse. Et Potentissimus Rex Angl.



Jacobus I. *lib. 3. inst. reg. pag. 175. & seq.* inter alia exercitia & recreationes laudibus effert venationem. Hac de causâ rectè Machiavell. *in Princ. cap. 14.* venandi studio, ait, jugiter ipse Princeps incumbat, ut & corpus laboribus adsefaciat, & locorum naturam addiscat: tum quo modo adsurgant montes: vallium item ora quo pacto aditum admittant: diffusi campi uti pandantur: fluminum præterea naturam & paludum intelligat, atq; in hoc summam judicet adhibendam curam. Quæ cognitio duplicem adfert utilitatem, tum quod explorata sibi pateat tota ejus ditionis regio, ac meliorem notitiam præbeat, quâ parte illa defendi possit: tum ex illius judicio, & locorum usu, facile situm alium quempiam recenter speculandum sibi propositum, animò complecti potest. *Paullo post:* Princeps autem qui hac careat, præcipuâ denudatur, quâ parte belli dux instructus esse debet. Adde Franc. Patric. *lib. 3. de inst. regn. tit. 6.* Keckerm. *d. cap. 3. syst. pol. pag. 98. & seq.* Reinh. Kon. *part. 2. theatr. pol. cap. 23.* Cæterum, quia

*Omnibus in rebus modus est tutissima virtus,*  
Venatio tum demum est Principi commendanda, si cum moderatione fiat, ne quid interea eorum negligat, quæ ad administrandam Rempublicam, & Imperii commoda pertinent; neve subditi opprimantur: alioquin non contemptus tantum, sed & odium expectandum. Dion. *in Adr. Hippol. à Coll. in Princip. cap. 27.* Prioris autem opinionis rationes & argumenta avertendi & amoliendi occasio fortean in ipso conflictu se offeret. Nunc indagando progredi lubet: *An Principes subditis suis venationis usum jure interdixerint, sibiq; usurpaverint?* Adf. I. per textum in *D. 4. vers. Nemo retia. 2. F. 27.* II. Propter pacem publicam & interdictum armorum usum: *tit. C. ut arm. us. in s. princ. interd.* Andr. Knich. *de Saxon. non prov. jur. cap. 5. num. 193.* III. Ne venationis studio homines avocentur ab agriculturâ, à qua agricolas non abduci publicitus interest. Si quidem Reipubl. expedit, ne promiscuis actibus rerum turbentur officia, *argum. l. 23. C. de testament.* neve aliis commissum alius subtrahat: sed ut suum quisq; officium exsequatur, nec se negotiis alienis quis temerè immisceat. IV. Hanc prohibitionem svadet conservatio specierum



cierum in animantibus feris. Si enim indiscriminatim venatio  
 cuiuslibet permiffa efferet, tota species faciliter devaftaretur, & inte-  
 ritui obnoxia redderetur. V. Quia Principes locorum publico-  
 rum dominia non modò legum concessione, & jure quodam  
 præminentia; fed longævâ etiam confuetudine, & præscripti-  
 one fibi adqvifiverunt, *arg. l. 3. D. ne quid in loc. pub. l. 4. D. ad L.*  
*Rhod. de jact. VVefenb. in parat. D. de adqv. rer. dom. numer. 7.*  
*Pruckm. in §. Venatio. cap. 4. de regal. Heig. part. 1. qv. 15. Henr.*  
*Bocer. in tract. de regal. cap. 1. num. 52. & feqq. Speckh. cent. 1. qv. 92.*  
*Val. Gvil. Forfter. de domin. cap. 9. num. 24. cum multis feqq. Arnifæ.*  
*lib. 3. de jure majest. cap. 4. num. 7. Niell. difp. feud. ult. th. 3. lit. C. Ul-*  
*terius quæritur, num Principes venationes fuas contra fubditos pœnâ*  
*mortis vindicare queant? Perqvam durum videtur, non considera-*  
*tis circumftantiis, fimpliciter eos ultimò adficere fuppliciò.*  
 Semper enim & in omnibus delicti & pœnæ efferet proportionis ra-  
 tio habenda, *Auth. Omnes peregr. C. comm. de fuffeff. & noxiæ par-*  
 pœna efferet, *Cic. lib. 3. de legib.* Hinc fapienter atq; prudenter Jctus  
 Marcianus in *l. 11. D. de pœn.* Refpiciendum efferet judicanti, *inquit,*  
*ne quid durius aut remiffius conftituatur, qvàm cauffa depofcit.*  
 Nec enim aut feveritatis aut clementia; gloria adfectanda efferet:  
 fed perpensò judiciò, prout quæq; res expoftulat, ftatuendum  
 efferet. Planè in levioribus cauffis proniores ad lenitatem judices  
 efferet debent, in gravioribus pœnis feveritatem legum cum ali-  
 quo temperamento benignitatis fubfequi. Atqvi hæc cauffa  
 tanti momenti non efferet, ut in delinquentem mortis pœnâ ani-  
 madverti debeat. Quapropter judex in hoc delicti genere leni-  
 tati potiùs qvàm feveritati ftudebit. *Zoannet. de venat. nu. 36. &*  
*feqq. Seb. Medic. de venat. qv. 5. num. 7. Speckh. d. cent. 1. qv. 98.*  
*Bocer. de regal. d. cap. 1. num. 71. cum feq. Arnifæ. d. cap. 4. num. 3.*  
 Aliialiter quidem fentiunt: à quibus etfi falvo favore diffenti-  
 re non licet; tamen falvâ confcientiâ cum ipsis confentire non  
 decet: interim verò adverfa; partis fententiam diftinctionis  
 remediò diffipari poffe conftat. Vide *Harpp. ad §. Fere. 12.*  
*num. 256. & feqq. Inf. de rer. divis. Velften. dec. 8. quæft. polit. 10. (c)*  
 Nec quidqvam efferet, ait *Sereniff. Rex Angl. Jacob. I.* quod  
 Principem magis vel deceat, vel condecoret, qvàm fi artem  
 equeftrem



eqvestrem optimè nôrit, *lib. 1. instit. reg. pag. m. 175.* imò nihil tam probè discunt Principes, juxta Carneadis vocem, quàm eqvitare: quippe magistri in ludis ijs assentantur, & qui colluctatur ultrò se inclinat: equus nullâ habitâ ratione, privatus an princeps, pauper an dives infideat, eum qui regere non didicit, præcipitem excutit. *Plutarch. de adulat. & amic. discr. pag. m. 159. & seq. Fr. Patric. lib. 3. de Regn. & Regis instit. tit. 2. Seb. Fox. de Reg. inst. c. 10. Amirat. de Regn. lib. 1. pag. 17. (d) De quorum usu in utramq; partem differit Herm. Kirchner. orat. 25. & seq. part. 1.* Hujusmodi autem ludorum eqvestrium sive hastiludiorum, (quorum etiam aliquatenus meminit Coelius Rhodiginus *lib. 21. lection. antiqu. cap. 18.* & quos antiquissimis temporibus etiam in usu fuisse historiarum monumentis proditum legitur) institutor & promachus nuncupatur Henricus Auceps Dux Saxon. electus Romanorum Rex circa annum Christi 934. Cum Saxoniam ab irruptione infidelium liberasset, Proceribus Imperii, quò recrearentur & excitarentur, ludos instituit eqvestres: cumq; probè intelligeret, sine ordine nihil quidquam rectè ac ritè confieri posse, ludis illis leges duodecim præscripsit de his qui ad eos admittendi, quiq; ab illis arcendi. Inter quas duodecima seu postrema hæc fuit. *Si quis à parentibus nobilibus satus non fuerit, neq; ex quatuor avorum natalibus nobilitatem suam probare potuerit, ad ludos eqvestres nullo pacto accedito.* *Seb. Münster. lib. 3. Cosmograph. Matth. Steph. lib. 1. de Nobil. cap. 4. num. 20.* Hinc oritur quaestio, an Imperator vi supremæ potestatis novum hominem ita nobilitare potis sit, ut ad hastiludia admittatur? *Adf. sententiæ patrocinator Pruckm. in tract. de Regal. part. 1. §. Soluta potestas, membr. 1. eff. 4.* & quidem rectissime: Cum omnes familiae etiam antiquissimæ tandem deleantur, & vena nobilitatis non sit perpetua, semper exsuscitandæ ac fovendæ sunt aliæ: *Eberh. à VVeihc in aulico-polit. reg. 194. edit. post.* Quin & fieri interdum solet, ut nobilitates vetustæ in astragalis habeantur: idcirco Principis potestas arctanda non est, quò minùs nobilium ordinem augeat, quem augeri & Principis & Reipub. interest, ut ingenia præclara ad bene merendum excitentur: quod fit, si Principis gratiâ cum antiquioribus conjungantur, vel præviâ virtute  
ad hoc



ad hoc culmen honoris admittantur. Matth. Steph. *de Jurisdic.*  
*lib. 2. part. 1. cap. 1. membr. 2. num. 77. cum seqq.* Jos. Nold. *de Stat.*  
*Nobil. cap. 11. num. 38. & seqq.* Ut tandem vela contrahamus:  
Hæc sunt, quæ de præcipuis Principum virtutibus pro virium  
exiguitate dissertationi ac disquisitioni Academicæ proponere  
& supponere collubitum fuit. Quæ si minus exasciata & elab-  
borata fuere, quàm hujusce materici dignitas exigebat, ut mihi  
ignoscatur, & insimul, quidquid hac in re omissum accom-  
missum, rerum ponderi atq; gravitati adscriba-  
tur, velim.



## PROBLEMA POLI- TICO-JURIDICUM

*μαξιγος* adjectum.

An quis in electione Magistratus sibi met ipsi jure vo-  
tum & suffragium dare possit?

Apud Lacedæmonios hoc olim licitum atq; concessum fu-  
isse, testatur Alexand. ab Alexandr. *lib. 4. Genial. dier. cap. 11.* Ac-  
cursius hoc adfirmare videtur in *l. Planè. 4. D. quod cujusq; univers.*  
*nom. ag. motus textus verbis expressis, quæ ita habent: Planè ut*  
*duæ partes decurionum adfuerint, is quoq; quem decernent, numerari po-*  
*test.* Consentit quoq; juris Canonici auctoritas in *c. Cum in jure. 33.*  
*de elect.* in verbis: *dummodò electioni de se facta consentiat.* Verum  
enimverò si res aliquantò diligentius exactiusq; pensiculetur,  
contrarium potius statuendum esse constabit, prout videre est  
apud Cujacium in *d. l. 4. & Paul. de Castr. Consil. 230. nu. 2. part. 2.*  
per textum luculentissimum in *l. Prator. 4. D. de tutorib. & curat.*  
ubi Ulpianus in hæc verba scribit: *Prator ipse se tutorem dare non*  
*potest: sicut nec pedaneus judex, nec compromissarius ex suâ sententiâ fie-*  
*ri potest: vide ibidem Gothofred. in not. Rationes prohibitionis*

ponit



ponit gloss. in d. l. 4. D. quod cuiusq. univers. nom. ag. quod videlicet, qui se ipsum eligit, operas suas ingerat, & in propria causa iudicet, semet ipsum laudet, & aliis se præferat: id quod iure prohibitum. Est igitur species φιλαυτίας, præteritis & rejectis aliis, se in electione præferre, gloss. in can. Didicimus. 24. qu. 1. Quam in rem suppeditatur nobis textus clarissimus in c. Inscripturis. 8. quest. 1. Vide Villag. in tract. de reb. eccles. non alien. lib. 1. cap. 81. num. 15. & seqq. Barthol. Agricol. in tract. de atate ineuntium officia cap. 14. pag. 247. & seq. Dan. Ott. in dissertat. de jure publ. cap. 10. pag. 268.



Eruditissimo Dn. Respondenti.

**V**irtutis res est, virtutes principe dignas  
Tractare, & punctis enumerare suis.  
Gloria virtutem sequitur; sequiturq. laborem  
PAULE tuum: Virtus premia tanta meret.

M. Johannes Müller Philos.  
Pract. Profess. pub.

Eidem.

**R**es est difficilis Primorum dicere facta,  
atq. opus ingenii felicis, scribere quæ sint  
Virtutes, quas Heroum genus atq. Deorum  
sectari fas est: metuis nil, talia tentas  
Ingenii quæ non cuiusvis, grandia tentas,  
Olim quò possis (Phœbi versatus in agris)  
Principibus placuisse viris, ambire favores.  
Esto; tuum laudo conatum, perge decenter,  
atq. Dynastarum TIBI conciliabis amorem.

αὐτοχρῆσ.

Georgius Scribonius P. L. C.

DEO MAIESTAS.



N<sup>o</sup> 1249

8<sup>o</sup>

X2207122

ULB Halle

3

006 635 644



M. G. V. D. A.










V



S POLITICUS  
DE  
S PRINCIPUM,  
*Quem*  
Trifagii summi  
aspiciis,  
RESIDE  
*atq; Excellentissimo*  
IRO,  
NARIO, J. U. L. & in Albia  
Romanæ Professore publico, Dn.  
quovis honoris cultusq; gene-  
ter prosequendô,  
*blicitus*  
tia & Virtutis  
censendum  
xhibet  
BERTI ANHALT.  
N N O  
C XXIV,  
*Octobr.*  
*is locoq; sollempni.*  
BERGÆ,  
AKENIANO.

